

Quos Jesus respicit, plorant delictum; negavit primo Petrus, sed non fleuit, quia non respexerat Dominus; negavit secundo, et non fleuit, quia adhuc non respexerat Dominus; negavit et tertio, respexit Jesus, et ille amarissime fleuit. Deinde sub eodem tenore verborum refert expositionem, quod illa verba intelligenda sint non de corporali intuitu, quod Christus per corporales oculos respexit Petrum, sed de interiori aspectu intelligenda sint; quia Petrus erat foris, et deorsum in atrio, Jesus autem intus in aula Præsidis, quando dicitur Petrum respexisse. Verumtamen expositio et verba quæ ibi consequenter refert: *Legant isti Evangelium, etc.*, non sunt Ambrosii, sed Augustini, libro de Gratia Christi, capite quadragesimo quinto, ubi ita concludit: *Non potest dici quod corporalibus oculis eum Deus visibiliter admonendo respexerit; et ideo quod ibi scriptum est: Respexit eum Dominus, intus actum est, in mente actum est, in voluntate actum est. Misericordia Domini latenter subvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiori gratia sua visitavit Petrum, interioris hominis usque ad exteriores lacrymas movit et produxit affectum.* Verumtamen non cogimur expositionem Augustini quoad priorem ejus partem sequi, etiamsi valde probabilis sit, ut notavi in secundo tomo, disputatione sexagesima quinta, sectione prima. Quoad alteram vero partem, quæ ad præsentem rem spectat, omnino veram et certam illam esse censemus. Et sine dubio illam præcipue intendit Ambrosius; unde post verba nuper citata, statim subjungit: *Respice, Domine Jesu, ut sciamus nostrum flere peccatum, lavare delictum.* Et est etiam sententia Leonis Papæ, serm. tertio et nono de Passione, et est communis Patrum ac Expositorum ibi. Quid vero testimonium hoc ad præsentem causam referat? Nam ille Christi respectus, licet valde efficax et accommodatus fuerit ad mutandum cor Petri, non tamen per physicam prædeterminationem, sed per tactum cordis, et per illuminationem ac inspirationem internam factus est. Quod imprimis in ipso Evangelio significatur, dum dicitur: *Conversus Dominus respexit Petrum, et recordatus est Petrus verbi Domini.* Ecce primum effectum illius aspectus, excitationem scilicet memoriæ Petri, cum peculiari interna illuminatione ad Christi prædicationem iterum ponderandam, cum qua fuit conjuncta inspiratio voluntatis, per Spiritus Sancti afflatum. Unde Leo Papa inquit: *Ita Christus tetigit*

cor Petri, ut, stante ejus spiritu, ex oculis Petri aquæ fluxerint, et felices manarint lacrymæ; et Ambrosius ait: *Respicit ut recorderis, et fatearis errorem;* et Augustinus: *Cor tetigit, memoriam revocavit, interiori gratia sua visitavit Petrum.* Quibus verbis egregie describit congruam vocationem internam, per quam Deus internum Petri affectum movit, non per physicam prædeterminationem, quæ nec pertinet ad vitalem motionem, neque ab his Patribus indicatur, vel necessaria reputatur. Unde statim post verba citata subdit Augustinus: *Ecce quemadmodum Deus adjuvando adest volentibus, et actionibus nostris! Ecce quomodo et velle et operari operatur in nobis!* Affert præterea idem auctor nomine Ambrosii locum alium ex libro secundo de Vocatione gentium, sed quia opus illud non Ambrosii, sed Prosperi est, melius in capite sequenti expenditur. Denique affert locum alium ex libro de Fuga sæculi, capite primo, dicente: *Non enim in potestate nostra est cor nostrum, sed nostræ cogitationes, quæ improviso offese mentem animumque confundunt, atque adeo trahunt non quo tu proposueris, sed ad secularia revocant;* et infra: *Quis autem tam beatus qui in corde suo semper ascendat? Sed hoc sine auxilio divino qui fieri potest? nullo profecto modo.* Quæ verba expendit Augustinus libro de Dono perseverant., capite octavo, et illa non aliter interpretatur quam illud secundæ ad Corinthios tertio: *Non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et quidem Ambrosius per se et directe solum docet cogitationes vel concupiscentias hujus sæculi ita perturbare hominis mentem, ut non habeat in potestate sua cor suum, nisi divino auxilio adjuvetur. Ex quo potius licet colligere, cum divino adjutorio habere in potestate sua cor suum, ut ad supernaturalia conscendat ac determinetur. Recte vero ulterius inde colligit Augustinus sanctam cogitationem, a qua divina vocatio inchoatur, non esse in nostra potestate, sed a Deo habere initium, ideoque quod talis sit, et tam accommodata, ut effectum liberi consensus obtineat, ex divina benevolentia pendere. Semper ergo hi Patres negotium hoc declarant per actiones prævenientis gratiæ, in quibus vocatio consistit, non per physicam motionem prædeterminantem.

Hieronymus. — Tertio adducit Hieronymum, in Epistol. ad Ctesiphontem contra Pelagianos, quorum dicit hoc fuisse argumentum: *Si nihil ago absque Dei auxilio, et per*

singula opera, ejus est omne quod gessero, ergo non ego qui laboro, sed Dei in me coronabitur auxilium, frustra dedit arbitrii potestatem, quam implere non possum, nisi ipse me semper adjuverit, destruitur enim voluntas, quæ alterius ope indiget; sed liberum dedit arbitrium Deus, quod aliter liberum non erit, nisi fecero quod voluero. Ad hanc vero argumentationem sic respondet Hieronymus: *Qui hæc dicit, quam non excedit blasphemiam? quæ hæreticorum venena non superat? Asserunt se per arbitrii libertatem nequaquam ultra necessarium habere Deum, et ignorant Scripturam: Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non accepisti?* etc. Quæ ad summum probant necessitatem divini auxilii ad bene operandum, in qua neganda turpiter errabant Pelagiani, nihil vero ad suadendam necessitatem physiciæ determinationis conferunt. Est autem in argumento Pelagianorum considerandum, si alicujus esset momenti, non solum probare non esse necessarium auxilium gratiæ ad opera pietatis libera, verum etiam nec concursum generalem necessarium esse ad opera libera ordinis naturalis, nam etiam per illum concursum Deus adjuvat, et ratione illius voluntas indiget alterius ope ad operandum; si ergo indigere adjutorio et ope alterius, est contra rationem libertatis, non poterit opus liberum pendere ex Deo per generalem influxum concurrente. Unde ex hoc loco Hieronymi colligunt aliqui negasse Pelagium dependentiam actionum humanarum a quocumque actuali influxu Dei. Quod certe indicant illa verba Hieronymi: *Asserunt se per arbitrii libertatem nequaquam ultra necessarium habere Deum.* Et ita contra illum errorem non solum objicit testimonia quæ loquuntur de auxilio gratiæ, sed etiam illa quæ de generali concursu sufficienter intelliguntur, ut est illud Joannis quinto: *Pater meus (inquit) usque modo operatur, et ego operor.* Dicitur enim Pater operari usque modo, conservando, gubernando et operando cum omnibus causis secundis, ut ibi exponunt Chrysostomus, homil. trigesima septima; Cyrillus, libro secundo, capite centesimo trigesimo tertio; et Athanasius, sermone de Deipara; et Nazianzenus, collatione quarta Theologiæ. Unde inferius refert tanquam sacrilegum argumentum Pelagii, quo tanquam inconueniens inferrebat: *Si voluero curvare digitum, movere manum, ambulare, discurrere, et similia, semper auxilium Dei mihi necessarium erit.* Quod

oportet intelligi de auxilio per concursum generalem, ut de illa veritate dubitare sacrilegum sit. Nisi interpretemur ad efficiendas illas actiones ex pia voluntate, ita ut ad æternam salutem utiliter fiant, necessarium esse gratiæ auxilium. Quem sensum indicare videtur Hieronymus, dum contra Pelagium objicit: *Audi, ingrate, imo sacrilege, Apostolum prædicantem: Sive manducatis, sive bibitis, sive aliquid aliud agitis, omnia in nomine Domini agite,* primæ ad Corinthios decimo.

Qua ratione solvendum sit argumentum Pelagianorum.—Quomodo autem solvendum sit argumentum Pelagianorum, his verbis inferius indicat Hieronymus: *Quod autem sursum, deorsum jactitant liberum arbitrium a nobis destrui, audiant e contrario eos arbitrii destruere libertatem, qui male eo abutuntur adversus beneficium legislatoris. Quis destruit arbitrium, ille qui semper Deo agit gratias, et quodcumque in suo rivulo fluit, ad fontem refert; an qui dicit: Recede a me, quia mundus sum, non habeo te necessarium, dedisti enim mihi semel arbitrii libertatem, ut faciam quod voluero, quid rursum te ingeris ut nihil possim facere, nisi tu in me tua dona compleveris?* et alia quæ late prosequitur. Et in summa concludit nos differre a brutis, quod liberi arbitrii conditi sumus, sed ipsum liberum arbitrium Dei niti auxilio, illiusque per singula ope indigere. Atque ita in summa respondet negando consequentias illas: Est liberum in operando; ergo alterius ope non indiget; vel e converso; Alterius ope indiget; ergo non libere operatur. Quis enim non videat similes illationes, applicatas vel ad generalem concursum, qui simultaneus est, vel ad quamcumque gratiam cooperantem, quæ etiam concomitans est, vel ad verum adjutorium, quo præparatur voluntas per excitantem gratiam, quæ liberam determinationem relinquit, nullius esse momenti? Hoc autem modo fiebant a Pelagio, non autem de prædeterminatione physica, quæ nunquam a Catholicis contra ipsum asserta fuit, et contra illam esset quidem satis valida illatio illa: Si absque Dei determinatione nihil ago, et, per singula opera, ejus est omne quod gessero, non ego, sed Dei in me coronabitur prædeterminatio; frustra dedit arbitrii potestatem, si illam implere non possum, nisi ipse me determinaverit. At Hieronymus tacite hoc excludit, dum adducens illa verba: *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis,* subjungit: *Velle, currere*

meum est (utique per liberam meam determinationem), sed ipsum meum sine Dei semper auxilio non erit meum; quia Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere.

Neque amplius probant quæ ex commentariis ejusdem Hieronymi super ad Ephes. secundo adducuntur: *Addidit itaque, et dixit, fidem quoque ipsam non nostræ voluntatis esse, sed Dei muneris. Non quod liberum homini tollatur arbitrium, et secundum illud Apostoli ad Romanos, non sit volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Verum quod ipsa arbitrii libertas Deum habeat auctorem, et ad illius beneficium cuncta referantur.* Quæ verba præcisa refert auctor ille. Quæ etiam sic sumpta nihil illum juvant; quis enim negat fidem esse beneficium singulare Dei et ex ejus munere? Omittit tamen unum verbum, quo clausulam illam concludit, Hieronymus, valde contra illam prædeterminationem notandum: *Ad illius* (inquit) *beneficium cuncta referantur, cum etiam ipsum nos velle ipse permiserit.* Expendendum enim est verbum *permiserit*, quod extreme differt a verbo *prædeterminaverit*, quo usus fuisset si aliorum auctorum sententiam probasset. Non est tamen accipiendum in eo rigore in quo dicitur Deus peccatum permittere, quia peccatum non intendit, neque ad illud excitat, quod in bonis actibus præstat. Utitur ergo Hieronymus verbo permittendi, solum ad significandam indifferentiam voluntatis, cui relinquit Deus indifferentem potestatem ad bonum operandum vel resistendum, non obstante quacunque prævia motione; hæc enim indifferentia proprie significatur per verbum permittendi, quando non excludit causalitatem, sed illam supponit et modificat, ac declarat non esse talem quæ indifferentiam tollat. Præterea, proxime ante illa verba declarat Hieronymus fidem non esse ex nobis, quia est ex vocatione. In quo significat gratiam antecedentem ad fidem, et inducentem voluntatem ad illam, non esse prædeterminationem, sed vocationem.

Alius locus Hieronymi. — Additur præterea alius locus ejusdem Hieronymi in cap. 24 Jeremiæ, circa finem: *Et dabo eis cor ut sciant me, quia ego sum Dominus. Illi simile est Apostolico: Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere, quod non solum opera, sed voluntas nostra Dei nitatur auxilio;* et iterum cap. 26, circa principium: *In nostra quidem potestate positum est facere quid, et non facere, ita duntaxat ut quidquid boni operis volumus, appeti-*

mus, explemus, ad Dei gratiam referamus, qui juxta Apostolum dedit nobis velle et perficere. Sed hæc generalia sunt et certa secundum fidem in omni sententia. Immerito ergo afferuntur in favorem physice prædeterminationis, cum sine illa detur verum Dei auxilium, quo bona opera nostra nitantur, et vera Dei gratia excitans et adjuvans, cui tribuantur.

Clemens Romanus. — Ultimo, affert dictus auctor Clementem Romanum, libr. 3 Recognitionum, aliquantulum a principio, ubi proponit argumentum Simonis Magi contra liberum arbitrium: *Quod Deus vult esse, est, et quod non vult esse, non est; ergo nullum est liberum arbitrium. Si enim efficaciter a Deo movetur, necessitatur; voluntati enim ejus quis resistet?* In quo argumento solum priora verba, quæ ponuntur in antecedente, habentur apud Clementem, cætera vero addita sunt ab illo auctore, qui, late referens responsionem Petri, quæ in summa est, duplices esse motus creaturarum, quosdam necessarios, qui aliter esse non possunt; alios voluntarios, qui sunt in potestate operantis; et ideo errare Simonem non distinguendo solummodo Deus aliquid velit; quia quædam voluit ita esse, ut aliud esse non possint; quædam vero ita voluit, ut in sua potestate habeant agere quod velint; subjungit autem dictus auctor, *non obscure docere Petrum quod, per hoc quod Deus voluntatem hominis efficacissime movet, nullam infert vim, nullam necessitatem imponit, sed eam pro suæ naturæ conditione sinit libere operari.*

Sed ut omittam opus illud incertæ esse auctoritatis, certe qualiscumque illa sit, tota est in favorem nostræ sententiæ. Nam ibi definit de ratione liberi arbitrii esse, *ut potestatem et virtutem habeat, qua possit ad quos velit actus inclinari.* Et sæpissime ibi repetit esse in potestate hominis ad hanc vel illam partem se movere, alias periret judicium, et omnis pœna vel præmium. Deinde nunquam Petrus ibi dixit Deum voluntatem hominis efficacissime movere, sed potius dixit ita velle Deum hominem esse, seu habere voluntatem, ut etiam voluerit quod in sua potestate habeat agere quod velit; cui voluntati repugnat illa efficacissima motio, quam ille auctor nobis persuadere intendit. Quanquam enim vera sit illa generalis doctrina, quod Deus movet causas secundas accommodatæ, scilicet, necessarias necessario, et liberas libere, ex illa potius infertur Deum non movere causas liberas physice eas prædeterminando. Et ideo Petrus,

in citato loco, nullo modo insinuavit genus talis efficacis, imo indicavit Deum non absolute voluisse ut sint actus liberi, voluntate præveniente, sed solum voluisse ut sint in potestate hominis, et ut actus fiant si homo velit. Loquitur enim ibi juxta subjectam materiam de voluntate Dei necessaria ad generalem providentiam et concursum cum causis secundis; de motionibus autem gratiæ nihil in eo loco dicit, quia ad disputationem cum Simone Mago non intererat.

CAPUT XXXIX.

CONFERUNTUR TESTIMONIA PATRUM AUGUSTINO POSTERIORUM, QUÆ AB UTRIVSQUE SENTENTIÆ PATRONIS AFFERUNTUR.

In hoc capite nondum de Patribus qui inter scholasticos annumerantur tractamus, sed de aliis sanctis Doctoribus qui de mysteriis fidei, vel disputando cum hæreticis, vel exponendo Scripturam, vel alio modo scripserunt. Ex illis ergo afferuntur, ad suadendam physice determinationem eorum auctoritate, Prosper, Fulgentius, Gregorius, Anselmus, Bernardus, quibus annumerare etiam possumus Ansbertum et Abulensem, nam eis etiam hæc sententia tribuitur. Sunt autem omnes hi Patres Latini; ex Græcis vero Augustino recentioribus nullum invenio pro hac sententia citatum. Ego vero, in lib. 1 de Auxiliis, cap. 9, primum omnium attuli pro nostra sententia Damascenum, libr. 1 de Fide, cap. 18, et lib. 2, cap. 29, generaliter docentem Deum non prædefinire actus liberos, quod non potest habere alium sensum Catholicum et verum, nisi quod non prædefiniat determinando efficaciter ac physice voluntatem ad illos. Nam, licet D. Thomas 1, quæst. 23, artic. 1, ad primum, exponat Damascenum, ut loquatur de prædefinitione, quæ vim seu necessitatem afferat, tamen in idem redit, quia non aliud est necessitatem inferre quam inferre determinationem ad unam partem et ad exercitium actus; inferre (inquam) illam causaliter et antecedenter per solam efficaciam extrinsecam, voluntate solum passive se habente ad recipiendam talem determinationem. Quæ enim major necessitatio (ut sic dicam) excogitari posset ex parte Dei, etiamsi fingeretur prædefinire liberos actus modo illo negato a Damasceno, et a D. Thoma sic explicato. Ex Patribus vero Latinis, adduxi in favorem meum, tum ibi, tum in lib. 2 et 3, eosdem fere Patres quos adversarii pro se allegant. Discurramus

ergo per singulos, et formalia verba quæ ipsi referunt expendamus, eaque cum his quæ nos magis movent conferamus, ut ita possit lector non obscure judicare quis in allegandis his Patribus, vel nimio affectu, vel minori diligentia aut fidelitate usus fuerit.

Prosper. — Principio igitur refertur Prosper contra Collatorem, c. 5, ut Davila refert; qui priusquam verba Prosperi ponat, hæc ipse de suo interponit: *Præcipue successit negotium adversus Collatorem, qui ex parte horum Theologorum tenuit sententiam, volens quosdam homines suam incipere conversionem, Deum autem prosequi et perficere. Contra quam sententiam sic procedit D. Prosper.* Ex quo præludio constat, quidquid ad hoc propositum ex Prospero affert, nec contra nos adduci, nec ad rem. Non quidem contra nos, quia toto celo distamus a sententia Cassiani circa initium gratiæ; non etiam ad rem, quia nos disputamus non de initio gratiæ an sit a solo libero arbitrio, necne; sed an determinatio liberi arbitrii ad consentiendum gratiæ, quæ jam in homine operari incipit, sit a libero arbitrio, non solo, sed cooperante Deo, vel sit a solo Deo. Quas quæstiones esse longe diversas, et hanc secundam non habere connexionem cum prima, late in superioribus ostensum est. Cum autem ille auctor statim in initio fateatur Prosperum loqui contra Cassianum, et solum docere initium salutis esse ex gratia, vel, si malit, ex sola gratia, et non ex libero arbitrio, eo ipso enervat omnia quæ postea late et sine fructu refert. Sed, ut res evidentius constet, non erit sine fructu, ut spero, singula referre et expendere, licet prolixiores videri cogamur.

Ex libro ergo contra Collatorem, qui in meo libro per capita non est divisus, circa principium, in § *Doctor Catholice*, etc., refert sequentia verba: *Sed nec cum hæreticis tibi, nec cum catholicis plena concordia est; illi in omnibus justis hominum operibus libera voluntatis tuentur exordia; nos bonarum cogitationum ex Deo semper credimus prodire principia; tu informe nescio quid tertium, et utriusque parti inconueniens reperisti, quo nec inimicorum consensum acquirereres, nec in nostrorum intelligentia permaneres.* Ex quibus verbis constat non posse nos in hac parte cum Cassiano sentire; nam ille non in omnibus hominibus vel operibus pietatis putabat initium esse ex solo libero arbitrio, sed in quibusdam; nos autem concursum illum liberi arbitrii, quem ad liberum consensum poni-